



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Archiepiscopo Neopatrensi, & Episcopo Sydoniensi, & electo Nazorescensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

ministrorum, in temporali regno te ipsius dextera tueatur. Sanè, sicut à dilectis filiis Priore ac Capitulo dominici sepulchri nobis extitit referatum, cùm eisdem monasterium sancti Lucæ de Sciro cum pertinentiis suis auctoritate sedis apostolicæ sit concessum, imperialis excellentia super eodem monasterio ipsius non exhibet, prout convenit, se benignam, sed potius permittit eos ab aliis indebet molestari. Propter quod nobis humiliter supplicarunt ut pro eis tibi scribere dignaremur. Nos igitur ipsorum supplicationibus inclinati, ferentiam tuam monemus attentius & exhortam in Domino quatinus divinæ considerationis obtenu, & pro sedis apostolicæ reverentia, & te ipsis exhibeas super eodem monasterio favorabilem & benignum, ac eorum molestatores ab ipsorum vexationibus desistere compellas tibi tradita potestate, non impediens aliquatenus quod minus idem dictum monasterium valeant pacifice possidere. Datum Laterani Idibus Iulij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

*ARCHIEPICO NEOPATRENSI,  
& Episcopo Sydoniensi, & electo  
Nazorensi.*

B.M. ms.  
Dicitur confit.  
vates Episcopi  
Catulli.

**C**VM venerabilem fratrem nostrum B. Cardicensem Episcopum & Ecclesiam sibi commissam sub protectione sedis apostolicae receperimus, nolumus, sicut nec velle debemus, ut à quoquam temere molestetur. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus non permittatis eum contra tenorem protectionis nostræ ab aliquo indebet molestari, Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani vi. Idus Iulij, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

*ILLVSTRI CONSTANTINOPOLITANO  
Imperatori.*

Epi. 117.  
De ratione  
Episcopi Catulli.

**Q**Verelam venerabilis fratri nostri Cardicensis Episcopi receperimus continentem quod dilecti filii fratres hospitales Ierosolymitani sub tua jurisdictione morantes ei super castro Cardicensi, Ecclesiis, possessionibus, & rebus aliis violentiam inferunt & gravamen, quamvis praedicta sint ipsi Episcopo per judices à sede apostolica delegatos sententialiter restituta. Ideoque imperiale excellentiam monemus & hortamur in Domino quatinus praedictum Episcopum, ne ab aliquibus super his quæ ipsi sunt ratione prævia restituta indebet molestetur, potestate tibi tradita tuearis. Datum Laterani &c. ut in alia.

Tom.II.

*SALZEBVRGENSI ET  
Magdeburgensi Archiepiscopis, & Abbatii  
de Pivavia Merseburgensis dioecesis.*

**D**ilectus filius nobilis vir Dux Austriae Epist. 118.  
per suas nobis litteras intimavit quod De matrimonio  
cum insignitus sit charactere crucifixi, cum filia Marchionis Mi-  
tensis.  
multitudine armatorum proficisci dispo-  
nens in subsidium terræ sanctæ, ac filium  
in ætate tenera constitutum & terram suam  
nulli commodius quam nobili viro Marchionis Mitensis valeat commendare, per  
suos & ejusdem Marchionis amicos habi-  
tus est tractatus de matrimonio inter filium  
suum & ejusdem Marchionis filiam contra-  
hendo; ut hoc facto securius ei committe-  
ret terram suam. Verum nonnullis firmiter  
affectionibus quod in quinto & quarto con-  
sanguinitatis gradu se dicti pueri contingebant, non fuit ulterius in eodem facto pro-  
cessum. Vnde tam supradicti nobiles quam  
multi magnates alij per suas nobis litteras  
humiliter supplicarunt ut multiplici utilita-  
te pensata quæ speratur ex hujusmodi co-  
pula preventiva, dispensare cum praedictis  
personis ex benignitate apostolica dignare-  
mur, quatinus eisdem matrimonialiter co-  
pulari ex nostra permissione liceret. Quo-  
circa presentium vobis auctoritate manda-  
mus quatinus de gradibus consanguinitati-  
tum utrinque ac universa genealogia serie,  
à stipite scilicet usque ad personas illas de  
quarum conjugatione tractatur, & an scandalum ex hoc facto valeat suboriri, & de  
necessitate urgente ac evidenti utilitate,  
quæ dispensationis gratiam solent in hujus-  
modi loadere, inquiratis diligentissime ve-  
ritatem, & quod inveneritis per vestras litteras fidelier intimetis; ut per vos certiores effici, prout expedire viderimus in  
eodem negotio procedamus. Quod si non  
omnes &c. duo veltrum &c. Datum La-  
terani 11. Kal. Augosti, pontificatus nos-  
tri anno tertiodecimo.

*MAGISTRO ET FRATRIBVS  
Ierosolymitani Hospitalis.*

**E**X litteris carissimi in Christo filij nos- tri Leonis Armenia Regis illustris accepimus quod ipse ob reverentiam apostoli-  
cae sedis & nostram, & quia necessarium ei contulisset adversus barbarorum multi-  
tudinem regnum ejus volentium intrare  
succursum, civitatem Saleph, castellum  
novum, & Camard, cum omnibus ipso-  
rum pertinentiis & divisionibus assignatis,  
& cum omni jure ad ea terra & mari spec-  
tante, sicut in privilegio concesso suo ex-

Epi. 119.  
Confirmat do-  
nationem fac-  
tam à Rege Ar-  
meniorum.

Nnn ij